



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Februarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

FEBRUARIUS.

Festum S. Ignatii Antiocheni
Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! vivimusne? sed cui? Doceat id
S. Ignatius, cujus totum vivere, lo-
qui, & cogitare non erat nisi laudare, &
amare Jesum. Et quid facilius? quid
dulcius? ô si Jesus in cor nostrum veni-
ret, quàm citò sancti essemus!

Instructio meritoria.

Procul cum amore profano; totum
se nobis dedit Christus! mundus nil nisi
interitum. Satisfaciamus ratione stul-
titiæ, & vanitatis nostræ, & recitemus
Officium de dulcissimo Nomine Jesu.
Ah! cur non rumpitur pectus, dum Je-
sus offenditur? amor Jesu ad magna im-
pellit. Sed in nobis ubi illa?

II.

S Ignatius sic dilexit Dominum Jesum,
ut Ipsi cuperet esse quàm similli-
mus! hinc pii gemitus: *Frumentum Chri-
sti sum! dentibus bestiarum molar!* Ami-
cus

cus Jesu esse non potest, qui ab hujus degenerat vita, & exemplo: Et tamen nos tam avidè desideramus.

Instructio meritoria.

Christus sit confabulator tuus (ait Damianus) *contubernalis tuus, & conviviva; imò Christus ipse sit tua delicia.* Ideò nunquam accedamus communiter fraternam, nisi coram Sanctissimo vel Crucifixo petita ab Eo benedictione, & præmissis *quinque Pater & Ave* in honorem quinque Litterarum, quibus constat Nomen Jesu. Ubi Jesus, ibi salus, pax, & gratia.

III.

Quid amor non tentat? Mariæ ita familiaris fuit S. Ignatius, ut illi adhuc viventi scripserit epistolam, recipiamque ab Ea acceperit. O gloriosum Litterarum commercium, quò filius Matri, & Mater intimè jungebatur filio! quid nos attentabimus? Amantissime! licent paria.

Instructio meritoria.

Filius salutet Matrem: Et nos Mariam. Epistolam igitur expediamus ad Coeli
Re-

Reginam, in qua octo magis heroici actus in humilitate, temperantia, & taciturnitate Ei offeramus pro perpetua nos inter amicitia. Schedam deponamus aut in manus Beatissimæ V. Mariæ, aut abscondamus sub pia Icone cum Antiph. *Salve Regina*, Mater Misericordiæ!

Festum Purificationis B. Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus, ut se pro nobis offerat, ac præsentet hostiam vivam. Surgat ergo filius spiritualis! & occurrat Deo suo! occurrat in omni puritate animi, lætitiâ cordis, & gaudio Benedictini spiritûs.

Instructio meritoria.

Hæc Præsentatio ut nostra sit in cœlis glorificatio, recitemus *primas quatuor Decades* ex S. Rosario Gaudioso. In fine prostratò coram Sanctissimo Altaris Sacramento corpore nos totos præsentemus SSS. Trinitati in Hostiam Divini

Bene-

beneplaciti, & voluntatis Sacratissima.
Non surgemus sine grandi merito. Re-
noventur dein solemnia Vota cum Psal-
mo: *Benedic anima mea Domino, &
omnia &c.*

II.

O Prodigium humilitatis! Maria se
subjicit legi peccatorum, ut vide-
retur esse, quæ tamen non erat! quia
Mater Dei. Fili mi! simus, quos pro-
bant opera, videlicet: in oculis Dei ju-
sti, humiles, & omnis sanctitatis ama-
tores. Judicent nos humani oculi! quid
tuum? modò propria nos non incuset
conscientia. Si nos hominum moveat
opinio, citò abstineamus ab opere bo-
no? Quidquid egerimus, vel omi-
serimus, perinde est, criticos experie-
mur.

Instructio meritoria.

Pro acquirenda humilitate cordis so-
lidâ post preces ad salutationem Angeli-
cam persolvendas exosculemur in hono-
rem ætatis Christi trigiesies quater ter-
ram subjungentes Psalmum: *Domine!
non est exaltatum cor meum &c.* Humi-
liate

liate capita vestra Deo! clamat ad filios
Ecclesia.

III.

Quod Mariæ erat charissimum, ob-
tulit hodie Deo, nimirum Chri-
stum, & honorem suum. O di-
gnum Patre Cœlesti sacrificium! Fili! si
honorem, si cor, si voluntatem, &
affectus nostros pro Deo impenderimus,
obtulimus omnia. Et ô quàm suave est,
tam pio, & liberali Patri servire, qui
terrena offerenti rependit cœlestia.
Ideò S. Chrysolog. cur non cœlo mu-
tuamus terram? quare non caducis
emimus æterna? quare non perituris
manentia comparamus?

Instructio meritoria.

Ut purificemur, & mundemur spiri-
tualiter, omnibusque delictorum elua-
mur contagiis, per octo dies in nostro
cubiculo candelam accendamus, quâ ar-
dente antè cubitum semper renovabi-
mus formulam votivam cum *Lyt. Laur.*
Hæc candela loquetur, quanti sit in cor-
de nostro, ac pietatis affectu dulcis Vir-
go, Clemens Mater, Potens Maria.

Dies

Dies S. Blasii Episcopi, & Martyris Patroni contra dolores gutturis potentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Quatuordecim Auxiliatores sunt quos in suis necessitatibus implorat ecclesia. Hos inter & S. Blasius. Fili! timemusne violentam mortem? possumus liberari: Sed meritis S. Blasii. Est frater, amicus noster, passus est eadem mala, quæ nos patimur. Non S. Blasio difficile est, homines adjuvare, quoniam Deo junctissimus.

Instructio meritoria.

O quot miseriis subjectus est homo! sumus & nos. Ne opprimamur, omnes quatuordecim Auxiliatores totidem *Pater & Ave* cum *Gloria* recitantes veneremur. Hos coluisse, proderit in morte.

II.

Episcopus tam sanctus, ut dignitatibus moreretur, studio vitæ durioris secedit in antrum cum S. Hieronymo affirmans: *michi oppidum carcer est, & solitu-*

solitudo paradifus. Quid non amamus? vel cur quærimus turbas? hîc non habitat virtus, nec animæ fponfus. Jesus vult eſſe ſolus cum ſolo.

Inſtructio meritoria.

Fugiamus ſæcularium converſationem, & ſoli in cubiculo oremus Pſalmum: *Quemadmodum cervus deſiderat ad fontes aquarum &c.* dum ſoli, nunquam ſoli; quia à latere Deus, & angeli.

III.

Bestia dum S. Blasium advertunt orantem, quietæ perſtant in antro, nec recedunt, uſque dum completâ oratione à Dei viro expectatam acceperint benedictionem, & recedendi licentiam. Quanta vis in oratione, cui & bestia ſuam deferunt reverentiam: nunquid ut compenſent noſtram?

Inſtructio meritoria.

Bruto non cedamus! fervorem augeamus, idque vel præprimis hodie: igitur ad omnes preces, & exercitia fleſtamus erecto corpore, erectis ad Deum manibus, & oculis quàm modetiſſimè

com-

compositis, neque in ecclesiis vel per-
damus verbulum. Ter in templo ore-
mus amantis animæ stropham: *Anima
Christi! sanctifica me!* hominem vere-
mur? & Deum non respicimus! O fri-
gidam fidem!

Dies S. Andreae Corsini, Episco-
pi Fesulani ex Ordine Carmeli-
tarum.

EXHORTATIUNCULA I.

Andreas malè vivere cœpit: Sed
finit sanctissimè. Cujus ductu? au-
xilio? Mariæ, cui boni parentes ad-
huc parvulum dicabant ex integro. Sic
Mater protegit filios. Profectò *Adiu-
trix nostræ Redemptionis, Auxiliatrix
nostræ Justificationis; Deus enim omnes
gratias faciendas Mariæ commisit,
quas ipsa fideliter distribuit.* S. Bernar-
dinus.

Instructio meritoria.

Vitam ut & nostram sanctificet Ma-
ria, ter coram devota Hujus Imagine
oremus hymnum: *Ave Maris stella*
cum *Salve Regina.* Ad noctem adda-
mus

mus formulam votivam. Facile est, emendare vitam, ubi talis Mater, quæ instigat.

II.

Novitius tentatur miserè! Vinci, & superari tamen non potuit S. Andreas. Unde? quia vixerat non nisi inter clientes Mariæ. Montem petiit Carmeli. Habitum Mariophilorum induit: Quid mirum, quòd tam fortis in bello. Nulla nos terreat virtus Adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum Mater Unigeniti Dei. B. Amad.

Instructio meritoria.

Grati sumus & nos cœtui tam sancto, qualis est Carmelitarum. Ab his enim illud accepimus Mariæ vexillum, quò nec carnem, nec inferos timeamus. Pro gratiarum actione, uti & sacratissimi huius Ordinis amplitudine offeramus Mariæ *Officium majus* cum 12. osculis SS. Scapularis. Quod filiis, idem præstatur & Matri. O si magna! excelsa! sublimia!

III.

Totum vivere S. Andreae fuit se odif-
se, & diligere Mariam. Verùm ô

K

quan-

quanto cum sui emolumento! infirmo enim servulo adest Consolatrix infirmorum, ipsa cœlitum Domina. Et quid vult? diem mortis insinuat, & ad regna invitat cœlestia. O bona nova! Ah filii dilecte! quem pœniteat, vixisse Mariæ!

Instructio meritoria.

Continuemus, quod pii sodales promissimus Dominae, & ad omne signum Angelicæ salutationis hodie specialiter commendemus nostram extremæ luctus, & mortis horulam, jungendô *Litanias Lauretanas*. Non timet mortem, cui quotidiana, & dulcis fuit illius memoria. Hæc verò apud filios Mariæ est continua

Festum S. Agathæ Virginis, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

Vicit S. Agatha mundum cum omni pompa, quia in primo flore despicit. Fili! sancti deserunt: conquerruntur & contrâ mundum sui affeclati quia fallax est. Promittit bona: Et latigitur mala: Spondet vitam: Et infer

mor

mortem. An non ita? loquatur quotidiana experientia.

Instructio meritoria.

Cælum sæpiùs affectuosè suspiciamus, & desideranter oremus Psalmum: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum &c.* Tesserà diurna: *O quam sordet mihi terra, dum cælum aspicio!* Toties decepti à sæculo, non adhærebimus Deo?

II.

S. Agatha nec blanditiis, nec minis, & terroribus cessit, restitit, & mortem elegit, ne Christum cum cœlo perderet. Fili! & nos tam generosi foremus in amando, qui nostram salutem momentaneæ delectationi, & laxitati toties postponimus? A Virgine discamus, quid sit, diligere Jesum.

Instructio meritoria.

Hujus amorem curavimus modicè: satisfaciamus per recitationem Officii de dulcissimo Nomine Jesu, & ter flexis genibùs ei dicamus culpam per illam formulam: *Confiteor Deo Omnipotenti &c.* humilitas & oris confessio jungit,

& unit Deo ; separat autem occultatio.
Deus scit, & cernit omnia : Et ne nos
humiliemus, evincat superbia? Manu
quid hoc?

III.

UNde tanta S. Agathæ puritas, quæ
ipsis (teste S. Ambrosio) superior
fuit Angelis? Unde? dicam, ô fili! pro
nostra doctrina. Deum ubique sibi sus-
spexit præsentissimum : ideò nec vo-
luntatem suam attendit; nec delicias cu-
ravit : sed cœlestia solùm suspiravit.
Utique sequemur? Parùm sapit, cui ni-
hil sapit, nisi in palato.

Instructio meritoria.

Hæc omnia impetrabimus, si hodie
præcipuas septem Beatissimæ Virg. Ma-
riæ festivitates per annum occurrentes
recitatione trium Rosariorum, & Officii
majoris veneremur. Quod justum, &
dignum est, non negat Maria.

Festi

Festivitas Gaudiosa Dulcissimi,
& Potentissimi SS. Nominis Jesu
Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

Nomen Jesu insonat! flectamus genua, & nostra exultent pectora! in hoc SS. Nomine stat nostra tota salus, & gloria. Quis non revereatur, & diligat? O fili! stamus pro nomine nostro, nec in aliquo patimur inhonorari; quanto magis ardeamus pro Nomine Jesu, pro Nomine Redemptoris, & Salvatoris nostri? Scimus obligationem: ergo & reddamus.

Instructio meritoria.

Manè excitati genuflectamus versùs quatuor mundi partes, cum omni veneratione, & desiderio gratulantes: *Centes millies laudetur Sanctissimum, ac Dulcissimum Nomen Jesu!* Per diem autem recitemus Officium minus de Eodem. Frater fratri congaudeat!

II.

Quis nostrum est, ô fili! qui non offendit sapius admirabile Nomen Jesu? ô quantæ hîc irreverentiæ! ô quot

admissi abusus ! Dies adest honoris, & gloriae : tandem emendemus, & in omnem terram, quantum fieri potest, Nomen Salvatoris portemus, & promoveamus, verbô, & exemplô, plus tamen exemplô. Qui Regem honorat, honorabitur ab eo.

Instructio meritoria.

Præcipuè satisfaciamus pro millenniis blasphemis, & detestandis injuriis, quibus Jesum impetunt obdurati Judæi, Gentiles, & pessimi Christiani, compatiatur, & in honorem quinque Litterarum, quæ hoc sacrum exprimunt Nomen, recitemus 50. *Pater & Ave* cum Litanis de eodem. Amor non est, qui compati nescit.

III.

Estne Nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri? non est. Procul cum fastuosis, superbis, & elatis *viculis* ! Satis in honore sumus, si humiles, si fortes, & magnanimi pro Nomine Jesu. Occasiones non desunt ; patiamur, ut cum Jesu exaltemur.

Instructio meritoria.

Quoties hodie transibimus Imaginem
Jesu Crucifixi, toties flectentes dicamus:
*Jesu Nazarene! Rex Judeorum! mi-
serere mei!* Et ut Deus augeat cultores
Sacratissimi hujus Nominis, hodiernam
Confessionem, & S. Communionem
cum uno S. Rosario offeramus cum S.
Bernardo optantes:

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardentem quærite,
Quarendò inardescite!

Festum S. Romualdi S. Ord.
Camaldulensis fundatoris.

EXHORTATIUNCULA I.

Mirabilis Deus in vocationibus suis!
Interfuit Romualdus cædi alicujus.
Et ò digitum Dei! mox inter homines
vivere desiit, seque inter deserta, &
speluncas penitus sepelivit. Quotidia-
na, mi fili! cernimus mundi, & homi-
num pericula: & tamen non fugimus?
quàm justè timendum, ne incidamus.

Nunquam honestior, nunquam & securior fuga, quàm si contra peccata!

Instructio meritoria.

Ut nostram, & aliorum salvemus animam, à manè & vespere versus quatuor mundi plagas flectamus, & signantes signò S. Crucis dicamus: *ecce! Crucem Domini! fugite partes adversa*, addamus demum *5. Pater, & Ave cum Te decet Laus, tibi gloria &c.*

II.

S Romualdus dicere est solitus: centum annos hilari animo traduxi in religione, sed viginti, quos transegi in saeculo, me angunt maximè. O Fili! Deo soli intendamus! homines fugiamus! sensus nostros contineamus, & jucunda erunt vitæ nostræ tempora. Et quid impediet, ne fiat? Deo adhærere est beatè vivere. Reliqua opinione bona sunt, sed natura in illis bona non est. Solum illud bonum est, quod sempiternum. Hoc extrà Deum quærere possumus: invenire autem nunquam.

Instructio meritoria.

Deploremus perdita, & inter falsos mun-

mundi favores malè transacta tempora, & iterum redimamus. Quomodo? per septem dies quotidie unum ex psalmis pœnitentialibus recitandò, & aliquem cibum (si plures apponerentur) determinatè Deo offerendò. Vivimus, non ad delicias, sed ad salutarem pœnitentiam. Vitam & sanitatem debemus corpori, non sensualitatem, vel voluptatem.

III.

S. Romualdus adeò orationem adamasvit, ut aut nullum, aut rarum somno tempus dederit, per omnia vigilans, ne sui spirituales filii vincerentur aut oriò aut somnolentiâ. Suïs vigiliis sanus in annos centum & viginti vixit. O nos timidos! timemus sanitati, dum diutiùs vigilandum, aut orandum. Confidamus Deo, de cuius amore tunc agitur. Scit, & vult Deus servare famulos suos. Promisit dudum: *Ego diligentes me diligo.*

Instructio meritoria.

Vigilate, & orate, mandatum Domini est. Subtrahamus hodiernæ (si quæ fuerit) recreationi, conversationi,

K s

&

& nocti unum alterumve quadrantem, & aut pio studio, aut sacrae scriptioni, aut devotæ orationi ac Meditationi applicemus. Pro hâc nostri victoriâ offeramus unum supererogatorium Rosarium expansis brachiis recitandum. Vim patitur amor! Magno sunt Dei beneficia! magnis & multis compensantur tum humilitatis, tum pœnitentiæ obsequiis.

Festum S. Joannis de Matha
Ordinis de SSS. Trinitate Fundatoris
divinitus electi.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid miserabilius captivitate? hanc ut tolleret Deus apud Christianos, specialem adinvenit Ordinem pro redimendis captivis è potestate Saracenorum. Dilecte! de tam sancto instituto quis non gaudeat? aut Deo gratias non agat?

Instructio meritoria.

Igitur *Te Deum Laudamus* persolvamus, & per manus S. Joannis pro liberatione omnium fidelium, qui forte
inge-

ingemiscunt sub tyrannide, offeramus
Lytanias majores de omnibus Sanctis.
Unita vis, & juncta auxilia coram Deo
sunt potentissima.

II.

GRatulemur S. Joanni, quòd è mil-
libus fuerit electus in sortem illo-
rum Dei servorum, qui animas Chri-
sto Jesu adducerent innumeras, quæ
æternùm periissent, si liberatæ non fuif-
sent. Fili! ubi zelus noster? animas
& nos petamus de coelo. Dabit, si
exemplariter, si & virtuosè vixerimus.
Nihil egimus, ò Chare! si lucrum ne-
glexerimus animarum.

Instructio meritoria.

Abfit hoc! citò ad pietatis subsidia!
quæ autem illa? extraordinariam Con-
fessionem, & S. Communionem insti-
tuamus pro animabus periclitantibus.
Recitemus quoque Cursum Marianum.
Cessant threni, & lacrymæ cum captivi-
tate, ubi adest invocatio Jesu, & Mariæ.

III.

Sunt & in cœmeteriis captivi, & mi-
seri. Consideremus tumulos! visi-

K 6

temus

228 IX. Februarii. S. Apolloniæ V. & M.

temus defunctos ! audiemus lugubre
miseremini ! miseremini saltem vos Dei
amici intimi ! Clamor hic timendus &
nobis , si misericordiam modò non fe-
cerimus erga defunctos.

Instructio meritoria.

Amor non patitur moram ! adhuc
oremus hodie pro defunctis eorum of-
ficium cum uno nocturno , & omnia
opera totius diei solis in purgatorio
captivis applicemus. Hoc pretium est,
quò frater redimit fratrem & quid faci-
lius ? Carbones mi fili ! nescimus , quàm
acuti sint in urendo ! aliàs tentaremus
majora.

Festum S. Apolloniæ Virg. &
Martyris in dolore dentium Patro-
næ Amabilissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

COr ubi Dei ardet amore , tormenta
non sentit , sint etiam gravissima.
En ! dentes suos offert licitoribus Apol-
lonia ; sed hilari mente. Quanta in
Virgine fides ! qualis & pro Deo con-
stantia !

In-

Instructio meritoria.

Quid non merebimur à Deo, si devotè honoraverimus S. Apolloniam? merebimur certè pacem, & quietem à dolore dentium. Per octo igitur dies quotidie recitemus hymnum de communi Virginum ex Vesp. *Jesu corona* &c. cum oratione de Festo. Honorat Deum, qui Sanctam. Honorantibus autem omnia cooperantur in bonum.

II.

IN accensum rogam, divinò acta spiritu, liberè insilit, & suâ fortitudine tyrannum cum tortoribus triumphavit. Violenter agendum, mi fili! ubi periclitatur Nomen Dei, & propria salus. *Frigidum nolle non sufficit.* Grandia facere, & fortia pati Christianorum est. Ergò & nostrum.

Instructio meritoria.

Per manus S. Apolloniae tres actus mortificationis externae offeramus SSS. Trinitati, & pro obtinenda fortitudine Christiana addamus *Officium de S. Cruce.* Qualis Magister, talis & discipulus; ille in Cruce, ita & nos.

K 7.

III.

III.

Fili! dolores advertimus, & morbos in corpore? quid tum? patitur solum homo; gaudet verò Deus cum anima. Inspiciamus Crucifixum, & evanescet omnis dolor cum tristitia. Quid enim omnis passio nostra ad passionem Jesu? In manu nostra est, si velimus, ferrum convertere in aurum. Sæpè cruce non sunt, quas credimus esse.

Instructio meritoria.

Dum hic patimur, redimimus, quæ sustinenda in vita altera. Pro gratiarum actione offeramus 33. *Pater & Ave* cum *Credo*. Tot enim annis pro nobis passus est Dei Unigenitus. Ah! & nos unâ horâ sub adversis, & minùs prævisis casibus fatiscimus! desperamus!

Solemnitas Matris Matrum, & Sororis SS. Patris Benedicti Castissimæ S. Scholasticæ Indulgentia plenaria.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! congaudeat sibi de hodierna festi-
vitate. Est enim dies Matris vestrae si-
cut

cut castissimæ, ita & sanctissimæ. S. Scholastica hæc est, quæ vix novit mundum, & jam despexerat eum. Vita illius erat ipsa puritas; mors verò gloriosissima. Quis Scholasticam non veneretur, & diligat?

Instructio meritoria.

Contemptus sæculi, puritas vitæ, & bona mors ô quàm nobis tria necessaria. Impetrabimus omnia per SS. Matris Scholasticæ merita. Ad Litanias igitur omnium Sanctorum ex Ord. S. P. Benedicti cum uno, vel altero S. rigoris actu. Rigorem amârunt Sancti & Sanctæ: Cur non & peccatores?

II.

BENÈ, & sanctè loqui nescimus, mi Fili! intremus scholam Benedictinæ Scholasticæ: Et docebimur satis. Totam noctem cum Fratre suo Sanctissimo consumpsit colloquendô de æternis gaudiis, & credidit, vix momentum fuisse. Citò transeunt tempora, ubi beatitudinis æternæ memoria.

Instructio meritoria.

Ars artium est inter homines conversari, & non in conscientia foedari. In honorem

norem

norem S. Scholasticæ abstinemus hodie à multiloquiis, vel discursibus minus statum decentibus, & animæ noxiis. Ne delinquamus in lingua, Psalmum : *Verba mea auribus percipe &c.* coram Crucifixo oremus cum 33. osculis terræ! Aut nihil, aut parum dixisse, optabimus in morte.

III.

A Gonizat Mater! Fili! subveniamus! at non indiget nostrum! jam avolvit ad cælum castissima columba. Mortua est Scholastica sine dolore. Non mirum: Nam dilexit multum. Sola puritas, & sincerus Dei, virtutisque amor alleviat mortis angustias. Quid agimus, si non ita vivamus?

Instructio meritoria.

Utramque virtutem imitemur in SS. Matre Scholastica, & per integram octavam coram hujus Ara, vel S. icone flectentes, minus illius *Officium*, vel *Lytanias* recitemus sub quotidiana tessera : *Monstra, te esse Matrem!*

Festum Cathedræ S. Petri Antioch.

EXHORTATIUNCULA I.

HÆc dies, quam fecit Dominus pro gloria, & lætitia Nominis Christiani. Hodie S. Petrus primâ vice à fidelibus renunciatus est Vicarius Christi, & Pastor optimus Christianorum. Gratulemur Romanæ Ecclesiæ! gratulemur & nobis, quia hujus vivimus electi filii, & discipuli! Quid potuit vineæ suæ facere Deus, & non fecit?

Instructio meritoria.

Probemus nostram gratitudinem pro beneficio vocationis ad fidem catholicam per triplicem visitationem ecclesiæ. In prima recitemus officium SSS. Trinitatis. In secunda symbolum S. Athanasii: *quicumque vult salvus esse.* In tertia pro augmento ecclesiæ, extirpatione hæresum, & pace ac concordia Christianorum Principum 15. *Pater & Ave cum Credo.* Pietate, & orationibus exaltatur Dei Ecclesia.

II. O

II.

O Fili! sub quàm sancta vivimus Matre! Christus, Caput ejus, sanctus est. Sancti sunt ejus fundatores. Doctrina, cæremoniæ, sacramenta illius sancta sunt omnia. Quàm multa insuper ad sanctitatem nostram tum exempla, tum incitamenta! & hæc quotidiana. Filii Ecclesiæ sumus: sed digni matre tantâ?

Instructio meritoria.

Ut simus, imitemur primos Christianos, quorum totum vivere erat, vigilare inter orationes, & dare eleemosynas pauperibus. Utrumque & nos præstemus, recitandò graduales Psalmos, & petentibus, quæ justa, & sancta sunt, nihil negandò, sed potius renuentem voluntatem egregiè mortificandò. Stabit bonis exemplis, & multis precibus pia Mater, Romana Ecclesia.

III.

Memento, ait S. Leo, *cujus capitis, & cujus corporis sis membrum.* Memento; sed ad puritatem, & sanctitatem vitæ. In his enim virtutibus cogno-

gnoscent omnes, quia discipuli, quia fratres sumus Christi, & genuini Ecclesiæ filii. Taliter si & mori cupiamus, toti mundi, & perfecti vivamus in hoc sæculo.

Instructio meritoria.

Ecclesiis omnis debetur honor, & reverentia. In his dum oramus, caveamus ab omni garrulitate, levitate, aut futili, immodestâ curiositate. Quia verò multum deliquimus, supererogatorio Rosariô satisfaciamus cum 50. osculi terræ. Templum Domini est! non fiat spelunca vitiorum, aut levitatum.

Festum S. Mathiæ Judææ, ac Oethiopiæ Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

Sors Apostoli cecidit in Mathiam. Sors Benedictini religiosi cecidit in nos. Mathias opere, & sanguine implevit fortis mensuram, & plenitudinem; nos impleamus magno fervore, ac spiritu Benedictinô. Filii! volumusne parem cum S. Mathia sortem possidere in cœlis? pari zelô apostolicô laboremus

remus

236 XXIV. Februarii. S. Matthiæ Ap.
remus pro Deo, & S. Evangelio in
terris.

Instructio meritoria.

Spiritum, & fervorem ut obtineamus
S. Mathiæ, in venerationem 12. *Pater,*
& *Ave* cum totidem *Gloria Patri* &c.
et uno *Credo* recitemus. Sortem fac
tenet bonam, qui colit, & honorat S.
Mathiam.

II.

A Postatavit Judas, & non contentus
sorte suâ æternum periit. Tanti
est, in statu suo non perseverare! non
sic, filii mi! Seneca dat fidele monitum:
Hoc à te exige, quem statum institueris,
prestare te, talem te usque ad exitum
erves. Servavit S. Mathias. Ideò tan-
ta jam hujus gloria in coelis. Hæc da-
tur soli constantiæ. Currunt multi,
sed unus accipit bravium. Quis? qui
perseveraverit.

Instructio meritoria.

Gratias agamus pro beneficio voca-
tionis orandò illum Eucharisticum Psal-
mum ex matutino Sabbathi: *Benedic*
anima mea Domino, & omnia, quæ in-
tra

trâ me sunt, Nomini sancto ejus &c.
 Gratiarum actio est optima beneficio-
 rum retributio. Reverentia & humi-
 litas provocant Beneficentiam. Ingra-
 torum perpetua in terris est oblivio.

III.

QUæ causa collatæ tam subitò digni-
 tatis Apostolicæ in S. Mathiæ? hu-
 milis erat, & parvulus in oculis
 suis. Ideò S. Mathæus: *abscondisti hæc*
à sapientibus, & prudentibus, & re-
velasti ea parvulis. Sola humilitas va-
 let coram Altissimo. Elatio, & jactan-
 tia impugnat Deum: Quid igitur hono-
 ris, aut amoris inde sperandum? super-
 bis resistit; humilibus dat gratiam.
 Hæc lata sententia!

Instructio meritoria.

Si incedamus, capita humiliter incli-
 nemus, & pro impetranda solida, ac
 perfecta humilitate, coram Crucifixo
 flectentes 15. Pater, & Ave recitemus
 cum nota collecta ac versiculo: *Christus*
factus est obediens &c. Oremus, *Re-*
spice quæsumus Domine super hanc fa-
miliam

238 XXV. Februarii. S. Walburgæ.
miliam &c. Crucifixum intuemur: & su-
perbimus?

Dies S. Walpurgæ Virginis, &
Abbatissæ, nec non infirmorum
Thaumaturgæ.

EXHORTATIUNCULA I.

A B ipsis propè incunabilis suam Chri-
sto dicavit Virginitatem, & in per-
petuum hujus obsequium sese obtulit
Walpurga Virgo tenerrima. O fili! fa-
cilis est servire Deo, quàm credit ho-
mo. Mandata profectò cujus gravia
non sunt. quare? responderet S. August.
*Non enim est durum, nec grave, quod
ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod
imperat.*

Instructio meritoria.

Ut huic Redemptori toties debito
charitatis obsequio non desimus, fati-
gamus, vel imposterùm à signo primæ
excitationis primas Diei cogitationes ad
solum dirigere Deum, orantes flexis ge-
nibus *tria Pater, & Ave* cum totidem
Gloria Patri. Vincatur natura, ubi
agitur de augenda Dei gratia.

Præ-

II.

PRæfuit Virginibus adeò feliciter, ut sanctæ Walpurgæ virorum quoque committeretur cura, & sollicitudo. Non mirum: Eminuit enim charitate, & castitate angelica. Hæ virtutes sunt, quæ & animas servant inter pericula. Ubi illæ, ibi & Deus. Ubi autem Deus, quis sibi timeat?

Instructio meritoria.

In Charitate, & cordis innocentiam nostram ô fili! frequentemus hodiernam conversationem, præmittentes vel in cubiculo, vel templo Domini Psalmum: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis.* Tela prævisa minus feriunt. Cum sancto sanctus eris.

III.

Innocentiam S. Walpurgæ mirò remuneratus est Deus prodigiò; quia ex benedictis Castæ Virginis ossibus oleum profluit humanæ infirmitati saluberrimum. Impurè qui vivunt, retinere non possunt, oleo tam sancto è vasculis occultâ vi subtracto. Cessant ô fili! prodigia, ubi incipiunt peccata. Animæ mundæ nunquam

quam

quam malè est : benè semper. Quæ
cura de nostra?

Instructio meritoria.

Ut vivamus sani corpore, & integri
animâ, Thavmaturgam veneremur no-
stram S. Walpurgam, recitandô hym-
num: *Jesu! Corona Virginum* cum ora-
tione de Festo. Noctûque sensus nostros
ad modum extremæ Unctionis signe-
mus dicendô : *Indulgeat mihi Dominus*
per S. Maria, & B. Walpurgæ interces-
sionem, quidquid deliqui oculis &c.
Sensuum ubi sollicita custodia, ibi ave-
nulla, aut rara peccata.

Festum Leandri Hispalensis
Archiepiscopi, & Doctoris ex S.
Ord. S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

ARianam pravitatem laudemus ho-
die meritîs S. Leandri totâ ejectam
Hispaniâ. Magna hæc gloria est tanti
Doctoris, quam & ipsa solemni ritu ce-
lebrat Ecclesia. Hæc triumphat in ho-
stes solâ virtute, doctrinâ, & vitæ exem-
plis.

Instructio meritoria.

Ut plures prodeant è familia Magni Benedicti Leandri zelosissimi, recitemus *Lytanias* de omnibus Sanctis Benedictini Ordinis. In fine dicamus : *Te Deum Laudamus.* Laus Dei, & Sanctorum nunquam est sine præmio. Si non hîc, dabitur alibi.

II.

EA fuit Leandri sapientia, & auctoritas, ut inimici vel solò illius auditò nomine contremiscerent. Struunt periculosas sancto insidias. Avertit Deus, & tantum sibi Doctorem servavit Omnipotentis Providentia. Vivamus sanctè, & vicimus inimicos.

Instructio meritoria.

Pro Conversione excoecatissimorum apostatarum recitemus coram Crucifixo, aut Sanctissimo *Lytanias majores.* Aderunt sancti Dei singuli, ubi agitur, & pugnatur pro gloria Christi.

III.

EN! S Leander in exilium ejicitur. Hæcne merce tanti laboris? Fuit; sed pretiosissima. Nam Deus constituit.

L

Justus

Justus hic est. Hinc nostros ô fili! conatus in hac terra præmiatur adversis, ut in futurum ampliora tribuat meritis, & virtuti statuta præmia. Spernamus mundi favores, & gaudia. Patiamur Magnum Domini. Patris est: exosculemur! non punit, sed ungit.

Instructio meritoria.

Ut exilium hujus mortalis vitæ portemus cum insigni proventu animæ, oremus ter Canticum trium Martyrum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* addendo & toties suspirium S. Augustini: *hic ure! hic seca!* modò æternùm parcas!

M A R T I U S.

Festum S. Virginis Chunegundis Augustæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Patronæ specialissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid ita placet Deo, ac puritas, & innocentia vitæ? Id testatur ambulans super ignitos vomeres S. Chunegundis.